

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||  
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

**Aemilius, Georg**

**COLONIAE, 1555**

Dominica Invocavit. vangelivm Matth. IIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69317)

D O M I N I C A L I A.

Ille magis contrà pleno sic ore sonabat:  
Dauidis miserere mei sanctissime fili.  
Constitit ad uocem tanti clamoris Iesu,  
Adductumq; sibi cæcum prope sistere iussit.  
Cumq; propinquasset, tali ipsum uoce rogauit:  
Dic age, quid faciam tibi uis charissime fili?  
Ille respexit oculis uisum da Christe priorem,  
Luce frui ut possum, & rerum cognoscere formas,  
Post tenebras liceat cæli conuexa tueri,  
Respice me, Visum reddo tibi dixit Iesu,  
Namq; fides morbo saluum te fecit ab omni.  
Protinus ex oculis miseri caligo recepsit,  
Amissamq; diu coepit cognoscere lucem  
Afficiens cælum, terras, hominesq; uiiamq;.  
Nec mora prosequitur pergentem gratus Iesum  
Laudibus extollens, qui munera tanta dedisset.  
Talia cum fieri plebs circumfusa uideret.  
Obstupuit Christi uires mirata potentes,  
Glorificansq; Deum Iericho deduxit cunctem.  
Omnibus unus erat super hæc miracula sermo.

D O M I N I C A   I N V O C A V I T .

E V A N G E L I U M   M A T T H .   I I I .

A R G U M E N T U M .

Ducitur in sylvas, ut ibi tentetur, Iesu:

Hunc Satanas technis aggrediturq; tribus.

D      Spiritus

## EVANGELIA



Spiritus in sylvas desertaq; duxit Iesum,  
Vt graue sentiret tentamen ab hoste maligno.  
Iamq; quater denis iejunia longa diebus  
Et totidem noctes tulerat, cum deniq; cœpit  
Esuriens sentire famem, Tentator ad illum  
Protinus accessit milleno præditus astu.  
Ante pedes lapidum cumulus tum fortè iacebat,  
Quem digito monstrans ad Christum perfidus int.  
Si soboles es uera Dei, tunc effice panes  
Hos lapides, perpessa quibus iejunia pellas.  
At legimus scriptum contrà respondit Iesu:  
Panibus è solis hominem non uiuere quenquam,  
Sed potius uerbo, quod prodit ab ore Tonantis,  
Talibus exactis iterum tentator Iesum  
Aggrediens sanctam Solymarum duxit in urbem  
Summa super celsi statuens pinnacula templi,

AII

## DOMINICALIA.

Atq; ait: es summi soboles si uera parentis,  
Hac te præcipites lapsu properante deorsum.  
Sic etenim scriptum: De te mandata ministris  
Tradidit Angelicis, ut te comitentur euntem,  
Supponantq; manum pedibus, ne forte rigenti  
Duriter impingens lapidi uestigia lèdas.  
Respondit Christus contrà: Scriptura profatur,  
Aeternum tentare Deum Dominumq; caueto.  
Tunc iterum Satanus ipsum deduxit in altam  
Aërei montis rupem, spectansq; deorsum  
Commonstrat populos, & regna potentia mundi,  
Et quoscunq; tenet pulcherrimus Orbis honores,  
Mox ait: hæc per me tibi propria cuncta dabuntur,  
Poplite curuato si me postratus adores.  
Audijt ut uocem diram, respondit Iesus:  
I procul hinc Satana, sacro quia codice scriptum,  
Solus adorandus Deus est, solusq; colendus.  
Protinus aufugiens Dæmon discessit, inanem  
Selusisse operam frustra indignatus: & ecce  
Angelici coetus ueniunt, Christoq; ministrant.

DOMINICA REMINISCERE.

EVANGELIVM MATTH. XV.

ARGUMENTVM.

Pro nata mulier rogitat Cananæa, nec antè  
Desinit, à Christo quam sua uota ferat.

D 2 Chri-